



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 6. Nihil honoris vel acquirendi, vel recuperandi caußâ ambitiosè
agendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

no in honore habebatur, qui eum summa cum reuerentia ad Imperatorem deduxerunt. Si impatiens fuisset, si honorem suum defendisset, si de iniuria sibi facta exposuisset, si colaphum colapho reposuisset; nemo illum ad Imperatorem, sed ad carcerem duxisset. Irritati enim crabrones crudeliter sæuiunt. Irritatus fuisset Spiridon quoque, si de genere crabronum fuisset: nunc igitur in ipsa contumelia perferenda apparuit, non contumelia eum, sed gloria dignum extitisse.

§. VI.

*Nihil honoris vel acquirendi, vel recuperandi
caussa ambiciosè agendum.*

Infertur sanè sæpenumero grauis iniuria, & atrox plaga viris præstantissimis, si eis, ob egregias animi ingenijque dotes debitus honor, debita laus, debitum officium negetur, vel adimatur; vt is illud habeat, qui blanditijs, calumnijs in alios excogitatis, adulatione, aut inani iactatione id extorsit, aut, ne perdat, veritatem tegit, neque vniquam liberè audet effari, quæ vtilia sunt; metuens gratiæ pariter & honoris iacturam. Sed virtuti datur, per iniurias, occasio. Patiens, fortis, magnanimus, nullâ sibi finit

nit iniuriã virtutem eripi; sed adeò est pro-
vidus, vt ex ipsis iniurijs sumat occasionem,
patientiã, & fortitudinis exercendã. Itaq;
etsi alij inuitis auribus audiant veritatem,
oculisq; indignantibus aspiciant fieri, quæ
iusta sunt, apertè tamen odit, quos odio dig-
nos existimat, & amat, quos viderit odio
prosequendos, professus illud Ennianum:
*Eo ego ingenio natus sum, vt iram atque amici-
tiam in fronte promptam geram.* Oderint ho-
mines, dummodo amet Deus; despiciant
homines, dummodo honoret Deus. Infra i-
stos est gloria & fauor humanus, non supra:
numquam eum adorant; & calcare possunt,
si sit necesse. *Magni animi est, inquit Seneca, Seneca*
iniurias despiciere. Ultionis contumeliosissimum lib. 2. de
genus est, non esse visum dignum, ex quo petere- ira, c. 32.
*tur ultio. Multi leues iniurias, altius sibi demi-
sere dum vindicant. Ille magnus & nobilis est,
qui more magna fera, latratus minutorũ ca-
num securus exaudit. Rursus, Propriũ est mag-
nitudinis vera, non se sentire percussam. Sic
immanis fera, ad latratum ceterum lenta re-
spexit. Sic irritus ingenti scopul. fluctus assultat.* Greg. Tu-
Hæc Philosophus Ethnicus; multò efficaci- ron. de vi-
us Episcopus Christianus, *Magnum, ait, no- tis PP. c.*
bis diuina pietas largita est beneficium, cum de- 8. apud
licitis Sur. 13.
April.

lictis nostris fieri praecepit de remissione refugium, si negligentibus ignoscamus, si indulgeamus ludentibus, si odientibus nos è contrario commodum benedictionis impertiamus, dicente D. N. *IESV* Christo; Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos &c. Ecce remissio iniuriarum filium te Dei patris facit, cohaeredem Christi adscribit, caelestibus regnis habitatorem statuit. Vnde manifestum est oblita delicta eius in caelo, qui delinquenti beneficium veniae im-

Matth. 6. pertitur in saeculo, testante Domino: si, inquit, dimiseritis hominibus peccata eorum &c. Cum verò supplices famulis docet orare, ait: sic dicitis ad patrem; Dimitte nobis peccata nostra &c. cui sententia *Martini* abbas sanctitate praclarus, ac diuinis eruditus litteris, vim corde retinuit, ut libenter dimitteret delinquenti, nec solum ignouit noxam, verum etiam munere praeiudicium praeiudicium.

§. VII.

Eosdem esse iniuriarum & honorum contemptores.

Qui iniurias didicit non curare, facile etiam nihil aget peruersè, ob honorem, quem sensit esse fugitium, etsi sine sua sibi culpa ablatum; immò in animæ suæ salutem ablatum. Ita enim scribit ad *Maximum*

Augu-